

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Simonius Johann Drepper

**Oratio Panegyrica In Recordationem magnificam ... Dn. Ernesti Cothmanni Icti,
Germaniae celeberrimi ...**

Rostochii: Pedanus, 1624

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777435462>

Druck Freier  Zugang



Simonius, J.,

in E. Cothmann.

R. 1624.

40





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777435462/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777435462/phys_0003)





Oratio Panegyrica

I N

Recordationem magnificam

MAGNIFICI, AMPLISSIMI,
Clariſſimi & Consultiſſimi Viri

DN. ERNESTI
COTHMANNI JCTI,

Germaniae celeberrimi, Reverendissimi,

præcelsissimi, atq; prælustrissimi Principis
ac Domini,

DN. JOANNIS ALBERTI, Coadju-
toris Episcopæ Razeburgensis, Ducis Megapolensium &c.

CANCELLARII & CONSILIARII gravissimi, ut & Aca-
demiae Rostochiensis Professoris primarij ac Facultatis
Juridicæ Senioris maximè emeriti.

approbante

Excellētissimo & Clariſſimo Viro

NNE SIMONIO M.

Rhetorices Professore P.

habita Rostochij in auditorio majori

à

N E Drepper/ Lemgovia-Westphalo.

ROSTOCHII

Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typ.

40.

ANNO M. DC. XXIV.

Itemmodum Reverendo ac Clariſſimo Viri On
Dni. Ernesti Cothmanni Jcti. Rostochii Ordinarii



Clarissimis, consultissimis, doctissimis, amplissimisq; viris,
Dn. LAURENTIO STEPHANI, JCto., & LL. int.
Academia Rostochiensi Professori P. Reverendissimi & Celsiss.
Principis & Domini, Dn. JOANNIS ALBERTI, Ducis
Megapolitani, Episcopæ Razeburgensis Coadju-
toris &c. Consiliario:
Dn. JOANNI COTHMAN, JCto., & ejusdem Cel-
litudinis Consiliario aulico: iि illustris JCti Dn. Ernesti
Cothmanni genere, huic ejusdem fratre:

NEC NON

Prestantissimo doctissimoq; viro

Dn. F R I D E R I C O, Illustris JCti Dn. Ernesti Coth-
manni, qui nunc est c̄r̄ziose, Filio, GOTHMAN,
Juri Candato.

Dominis Patronis meis & Mecenatibus omni observantia colendis:
S. D.

Vlr sapientissimus Aristides ait: τὸς μὴν νῦν θεοῖς προσ-
νει, καὶ διεργάτην, τὸς δὲ αὐτοῖς τὸς ἐλλογίης τὴν ταῦθα Βιβλίων
ἀνάθεται. Templa diis consecrare convenit, viros vero eximios
debet librorum dedicatione honorare. Ad vos, Viri Excell. hanc ora-
tiunculam (utinam librum!) mitto: qui aliter? duplice impulsu rati-
one, sc̄m quia ita decebat viros eximios, tūm quia vos illi estis, quos
quām proxime hic tangit casas, unde & ea ipsa me ad vos ducebat. Ac-
cedit quod infirmus quod debilis hic noster partus, & quia exponere
animus, patronis opus erat, quorum à luce lucem eidem conciliarem. Vos
rursus illi estis, Viri Excell. & licet omnia quoque me vertebam, ut in-
luctu posita erant, ita alas atq; sinum pandere viderentur; ad vos tamen
redire cundemus nostrum in patrocinium dare volui, eoque tuitius quo
proximitas; ut dixi, hoc ultius vos tangere videbam. Quare Vestrum
Candorem, Viri Excell. appello, recipite hunc nostrum partum (in re-
frico vulneri condonate, non est de nostro proposito, edere & debuimus &
voluimus, merito erga defunctum ita planè persuasi) recipite, rogo, & ve-
stro eximio splendore illustrate, favore tutamini, alite, fovete. Valete.

V. Excell. obseruantissimus

J OHANNES DREPPER
Lemgov. Westph.



Irtutem, in quo-
cunque ipsa homine sit,
esse commendandam,
debitisque laudibus ma-
ctandam; pervagata est,
& à majoribus ad nos
deducta & propagata opinio: quæ nec
ratione caret. Id enim eorum hominum
beneficium meritò honore dignum est, qui
patriam adjuverint, auxerint, amplificarint;
vel, qui faciant doceantve ea, quæ ad sa-
lutem tum privatam tum communem per-
tinent, quæ nec sine labore & periculo pa-
rari, nec sine insigni eruditione alijs com-
municari possunt; vel quorum virtus sepe
spectandam det locis & temporibus diffi-
cilibus. Varij autem apud Ethnicos erant
modi honorandi. Sæpè claris viris immo-
lationes tanquam Dijs siebant: quod Tito

A 2

Fla-

Flaminio à Græcia factum, Plutarchus;
Braſidæ Lacedæmonio ab Amphipolitis
contigisse, Thucydides memorat. Sæpè
orationibus vel carmine vel soluta oratio-
ne scriptis, ut Xenophon Agesilao, Isocra-
tes Evagoræ, Virgilius præcis Romanis,
litabant. Interdum optimis viris præmia
dabantur, tripodes, palmæ, arma, aurum,
argentumque, torques, coronæ, vestes pre-
ciosæ, equi, phaleræ, & id genus alia: qua-
lia plurima L. Sicinium Dentatum ob in-
signem fortitudinem consecutum fuisse,
memorat Plinius. Sed & benè meritis lu-
cos consecrabant: hinc locus Augusti apud
Ptolomæum, & locus Pilumni, apud Poë-
tam. Præterea ubiq; hoc servabatur, ut ho-
noris gratia vel in mensa, vel in quolibet
confeitu: locus superior assignaretur: de
quo hodie quæ non est passim contentio?
Fuit & hæc antiqua consuetudo, ut clari
viris sepulchris honorarentur: Ennio Poëtæ
honori magno apud posteros fuit, quod in
sepulchro Scipionum constitutus fuerit, ut
pro Archia Cicero testatur. Pari modo mo-
rem

rem fuisse, ut claris viris imagines & statuæ; quem honorem primò omnium Har-
modio & Aristogitoni Tyrannicidis Athe-
nis concessum ajunt; passim erigerentur,
scribit Plinius, Demetrioq; Phalereo 36.º
statuas positas. Athenienses autem ijs, qui
benè rempubl. gessissent, victum publicè
dabant in Prytaneo: quod præmium, tan-
quam honorem apud Græcos maximum,
postulasse accepimus Socratem, cum à ju-
dicibus, ad cicutam damnandus, interro-
gatus esset, quanti pœnam æstimaret, quam
promeritus esset. Sic barbarorum proprius
honor erat vel toto corpore prostratos Re-
gem adorare; quod genus honoris Cyro
Regi Persarum primo omnium attributum
perhibent; quod cum Callisthenes in A-
lexandro Magno improbasset, mori est Ius-
sus; velut, Tyranno per aliquam regionem
transeunte, omnes occurrentes in longin-
quam partem, & se demissis oculis pro-
sternant, quasi minimè digni sint, tantum
Tyrannum aspicere. id quod hac etiam
tempellate Turcis familiare esse audimus:

A. 3

quos:

quos hoc à Persis , quorum , referente Plu-
tarcho in Artaxerxe , hæc consuetudo fuit,
accepisse , vero simile eit. Denique apud
singulas gentes in pretio fuerunt munera ,
quibus claros homines ornabant : eaque
tanto in majore , quanto vel rariora ipsa ,
vel præstantior esset , qui daret. Exposui
modos honorandi gentilibus usitatos. His
(exceptis barbaris & quæ cum pietate pu-
gnant,) vel omnibus vel plerisq; mactan-
dus videtur Vir incomparabilis ERNE-
STUS COTHMAN , felicissimæ re-
cordationis Jurisconsultus illustris , Can-
cellarius Megapolitanus , hujus almæ Uni-
versitatis Antecessor. Nam

Tu. COTHMANN E, illi rediabas dotibus, auctor
Quas tibi Jova potens inducerat ; artibus hugo
Fulgebas ; tu per pulchritudinisq; bonisq;
Exornatus eras , nec qualia Papinianus ,
Nec Nestor, nec Lalia gens, non ipse Deorum
Judicio sapiens habitus sperare fuisset
Ausus. Tu Patriæ, quæ te tulit, ornamentum :
Tu decus Aenidum : tu sanctæ gloria Dices :
Tu pietatis honor : rectorum consiliorum
Tu condit promus : tu JANI Iherois ocellus

ALBER-

ALBERTI Herulei: tu quasq; anchora rebus,
Tu oraclum dubijs, & adores magna Roseti.
Ergo quis omne genus cumulataq; pramia honoratu
Ambabus manib; tibi per solvenda negaret?
Tu meritus, recte cui vivida palma locetur:
Quem propter sudet Phœbus: cui geminae imago
Ducatur: cuius bustum rosa purpureuq;
Exhilaret semper Narcissus: floribus idq; ut
Perpetuus decorent Pallas, Themis, Eusebieq;.

Sed quo feror? cum nullum dubium sit,
esse in hac Academia neminem, qui san-
ctissimæ memoriar; D. E R N E S T U M
C O T H M A N , cui omnes justi honores
exhibeantur, dignum esse, non judicet.
Quod quas ob causas fieri debeat, et si per
se notissimum est; tamen eisdem ad po-
steritatem monumentis eorum, qui virtuti
favent, propagari, minimè injustum. Eas ele-
gante oratione prosecutus est ornatissimus
& doctissimus juvenis J O A N N E S
Drepper Lemgovia VVespalalus. Ad quem
benignè audiendum, ut Magnificus Dn.
Rector, Patres Academiæ amplissimi, cæ-
teri reverendi, clarissimi, consultissimi,
præ-

præstantissimiq; viri, nobilissima & littera-
tissima studiosa juventus, tūm testificandi
sui in p. d. magnum illum COTHMAN-
NUM amoris, tūm hanc Academiam,
hanc urbem, hunc Ducatum, universam
Rempubl. cum Serenissimis nostris Princi-
pibus præpotentis Dei patrocinio, hac af-
flictissima tempestate, devotis precibus
commendandi ergo, cras hora 9. in majore
Archeo convenire non graventur, reve-
renter & obnixè oro & rogo. P.P. Rostochij
a. d. 20. Maij Anno 1624.

Joannes Simonius M.
Rhetorices P. P.



Oratio funebris.

Tanè ad mortem absentis, Magnifice
Dn. Rector, Viri Reverendi, Consultissimi,
Experientissimi, Clarissimiq; Patres Academiae,
Præceptores, Macenates longè venerandi;
Taq; nobilissimorum ac præstantissimorum Stu-
diosorum lectissima corona, Cives Academia omni amoris gene-
re prosequendi; itanè, inquam, ad mortem absentis, quem ita
in vivis præsentem prosecuti sumus? Magnum juxta ac nobi-
lisimum ex hæsternâ vocatione virorum conventum video;
Gratias habeo immortales; video & cathedras subselliaq; lugu-
brem habitum induisse; At utinam, utinam eum ipsum, quem
ingemiscunt, in ore videre possent, id quod antehac magno cum
applausu ac stupore fieri solitum, nunc tristi memoria recordan-
tur. Velim A. & vos mecum scio, id fata voluissent, imò & ni-
hil magis in votis habendum esset; At nunc, quid inter mortales
factum immortalem? quid inter terrestres cælestem? Erat, erat
quo ha nostra Cathedra, hac nostra subsellia hujus viri eximia
virtute atq; doctrinâ triumphabant; Erat, eheu erat, quo illud
lumen hoc nostrum Lyceum fovebat, radijs suis illustrabat,
splendore totum totum opplebat! Nunc verò ubi ubi? Eheu ere-
ptum, sublatum ex hæc arunnarum scholâ miserrimâ, atq; in
cælestem beatissimam Divum Academiam, in felicissimum
beatorum catum, cum quibus colloquia edens mellitissima ater-
no gaudio exultat, translatum. Non equidem invidemus, sed
nostram sortem, in quam proh dolor positi, dignis gemitibus su-
spiramus, flemus, deploramus. Quid autem subsellia, quid ca-
the-

B

the-

sheara, quid parietes hoc suo insolito ac pullo habitu? Scilicet
ut Cothmannum magnum suum patronum, dum adhuc in vi-
vis praesenti fruerentur, officere, ut ejus insigni virtuti atq; ad-
miranda doctrina assurgere solita; Ita nunc post mortem ne
beneficiorum memoriam planè excidisse videantur, ejus memo-
riam vestire, ac tristi ueste dolorem notare suum satagunt.
Quid ante aliquot septimanas die 18. April. ad exequias hujus
nostri Herculis, sed à mortis infandâ truculentâ prostrati, sit
factum, qualia luctus ac doloris signa nostra Academia ehen misera-
rum afficta, Urbs nostra, imò tota Megapolensis regio suo publi-
co convenit ac accusit ediderit, adhuc aura suo fremitu testa-
tur; utq; tantum damnum tam brevi temporis spatio dignè de-
fieri nequit, Academia nostra etiam nunc (id quod sive tacite,
sive aperte vel singulis diebus) ad priores luctus redit, revocat se
quà corpore in cinerem posito eodem memoria gressum torqueare
videatur: Exemplo, inquam hodierna esto dies, in quā, ad lus-
titum à damno illo hand evum recuperabili inficto, animum
revocatum convenimus, subsellia verò suo lugubri indumento
satis manifestè attestantur. Quod autem ego, tam imperitos
inter olores anser hodierni conventus occasionem faciam, mire-
mini, A. iterum atq; iterum miremini, nempe cum tot Viri ex-
cellentissimi, nobilissimi, cùm tantâ Studiosorum Coronâ, ut
omnis eruditio, ita eloquentia lympidissimo nectare affluen-
tissimâ sedeant, ego surgam ab illis virtutibus longè alienissi-
mus, eloquentia quoq; munera maximè expers: Subeat, subead
nec in merito, insignis hujus audacia admiratio, eoq; magis,
quanto major, quanto excellentior fuit ille, in cuius memoriam
assurgere annitor. Verum causa, qua me in hanc temeritatem
(ita vocito) erexit, non ea est, quam forsitan animo quisquam
imbibat suo, vana persuasio, quasi nimirum aliquid hoc tam illa-
stri loco in prosequendo hujus tanti Viri Encomio, tanto in Am-
plissimo Clarissimum virorum confessu, tantâ in florentissi-

w2

mā nobilium Studiosorum frequentiā, dignum, quodq; lucem
huic cathedra afferre posīt, in medium adducere confidam.
Nequaquam. Sive enim loci dignitatem & hanc cathedram,
quam inermū fateor miles ascendī, spēcto: Est ea à tot annorum
decurijs tot viris fortissimis occupata, ad quarum insignem in
omnium rerum peritiā Virtutem ego vix hiscere ausim, à quo
rum etiam doctrinā atq; eloquentiā magna haic toti Auditorio
lux affulsi. Sive hunc virorum concessum, quem Amphictio-
num jure appello: Est iste tantus, qui vel Tullium de gradu, ut
ajunt, deīcere, vel Demosthenem. Deum illum Gracorum Ora-
torum, deterrere posīt. Causa verò, qua mihi primū hanc au-
daciā ingessit est unica Urbs Patria, qua hāc suā primā gloriā
orbata in mōstissimo est luctu. Nempe, corporis humani princi-
pe aliquo sui membro sive laço, sive absciso, tota structura mō-
ret, squallet, languescit: itā illa optimo gnato amissō. Quod
cum viderem, haud fas esse putabam, nos qui ex eadem progra-
ti urbe punctum nostrum non addidisse, tacuisse, nec condolen-
tiā signum ostendisse, quippe qui in hoc viro magnum nostrum
Mācenatēm, fulcrum nostra gentis, & ancoram satis firmam
perdidimus. Quare cāpi altius in hunc animum assurgere, nec
zamen confirmata stabat sententia: Cum enim provinciae obve-
niebat magnitudo, quam probè probeq; cum meis viribus expen-
debam, pedem retrahere incipiebam, atq; animo nutore, ponde-
rans, quod à Salustio dictum noram: Satius esse silere, quam pau-
ca de re aliquā, nec illa pro merito ac dignitate istius rei, dixisse.
Tandem verò, ubi diu longēq; in dubitationi fluctibus incertua
baseram, jam jam vela retracturū, ecce Corbmanniaci stem-
matū, qua cum parentib; meis semper intercesserat, consuetu-
do (ut taceam beneficia ab eodem exhibita) sub oculos venit,
meq; fortiter impellit propositum fretum ineundi, quā conspectā
protinus dubitationi fluctus stūrē, atq; tum demum animo
confirmatus sum. Erigebat namq; rursus, quod ab alio dictum

memineram: in magnis & voluisse sat est. Quare cum hâc, ut dici solet, aquâ præterfluere constitutum habeam, atq; illud absq; felici aurâ, quam unicè in Auditorum clementiâ mibi statam video, feliciter fieri nequeat: Ad vos etiam Aud. me unicè converto, vestram incredibilem aequitatem ardenter implorans, ut me de hoc magno nostro Hœroë, in cælestem Patriam jam ante paucas hebdomades recepto, Viro Consultissimo ERNESTO COTTHMANNO, cuius laudibus tota posteritas vix satia sit, verba, non quæ debeam, sed quæ possum hac meâ balbutiis attingendo, facientem, vestrâ, quam appellavi, aequitate adjuvare, onuslām vestro candore sublevare, titubantem atq; labentem erigere velitis. Quod scio eò faciet libentius, quod eundem, cujus gratiâ hac velificatio instituta est, in vrvis gratiorem habuisti.

Atq; ut à vita exordio ipsius orationculæ exordium suum, primò omnium Patria, qua hanc problem sinu educavit suo, perlastrandæ venit: Ea est Westphalia, regio in totâ Germaniâ, sive situ commoditatem soliq; fertilitatem spæctes, ex opatiissima; sive populi incolarumq; virtutem atq; industriam, celeberrimæ; sive virorū fortium, seu doctrinâ præstantium originem fœcundissima, felicissima, florentissima. De hisce singulis. A. dicere, de laudibus quas hac regio præter aliarum gentium sortem habet eximias dicere: Sed vereor, vereor, inquam, aliquis exurgat, me in primo Orationis vestigo increpans: Tu quis es, qui in tuam ipsius Patriam? an propria laudis buccina existes? Vereor aliquis Xenophon veniat, quam sibi quis laudem tribuat, alijs molestissimam obïciens. Hoc vereors. Et liceat bonorum habere exempla, Ciceronii, Patriam suam caput orbis jactantis, Ovidij, aliorumq; tam modernorum, quam prisco- rum, quæ imitari, quibus me tutari optimo jure possem; quia tamen haec res odiosa, nec suspicione caret, timidè, si faciam, facebam. Si non obessest has molestia omnia libenter præterirem,

unio-

unicum modò, quod Musa eidem tanquam genetrici ingeniorum fertilissimae, tanquam nutrii prognata proli studiosissima, honorarium dèbent; extremis digitis rangerem: Repeterem primò paulò altius literarum memoriam, quippe qua huic unicæ genti gratias agere videntur, per quam à quinq[ue] dilapsa scopus maximam in partem restituta. Cum enim Cimmerijs & plus quam Ägyptiacis tenebris literarum gloria turpiter immersa esset, nec haberent quo sese rursus erigerent, atq[ue] in lucem tot seculis absconditam redire possent; Tu ditisima Westphalia sinum atq[ue] manum tuam pandebas, Achillem, Herculem, Agamemnonem instruens, qui, fascibus quasi in manus datis, literis hanc optimam operam optimè prastarent. Rudolphum dico Agricolam, Rudolphum itidem Langium, strenuos linguarum reparatores, duces literatorum celeberrimos, suscitabas; Adörnabas insuper tertium Alexandrum Hegium, qui schola Daventriensi per triginta annos praefectus è disciplina suâ, tanquam ex equo Trojano, innumeros Heroës, Musarum propugnatores acerrimos, emittebat, inter quos haud extremi commatis erant: Erasmus Roterodamus, Johannes Mellius, Hermannus Buschius, & Timannus Camenerus, viri de optimis artibus ac linguis optimè meriti. Hisce tribus (alios infinitos libens taceo) Westphalia viris quid queso, vos A. compello, artes ac linguas debere arbitramini? Non potestis, scio, quin uno ore omnes acclametis: Äternam & memoriam & gratiam. Progredérer insuper ad nostram etatem, Westphalia ingeniosissimam prolem in conspectum darem: Nam quis non audivit magnum illud Buxtorphi nomen, quod Hebraica lingua ei impertit gloria, per omne avum venerandum? Atq[ue] illud decim tu Westphalia ex urbe Alensi produxisti. Quis non vidit cœruleo famæ cursu subiectum virum, Themidos magnum Antistitem, Johannem Göddum? Atq[ue] istum tu Westphalia ex urbe Sueriensi progenerasti. Ad cuius aures non pervenit

B. 3.

Hen-

16

Henrici Boceri fama, itidem ex Themidos gloriâ excitata? Atq; hunc tu Westphalia ex urbe Salcattenâ exurgere voluisti. Quis non accepit, vel suis oculis vidie, quod honoris Diadema sacra Musa Johanni Gisenio imposuerit, quo viro nova Ernestina Academia caput attollit? Atq; istud sydus tu eadem. Sed nolo Aud, sunt in oculis, sive in conspectu omnium hæc Westphaliae lumina, memorare, ut dixi, meum non est, & stultitia, stultitia esset si aggrederer: Quæ regio velut Tagus & Ganges preciosissimas gemmas pleno sinu (non ex me loquor, habeo testes Iatis fortis) emitit, & in oernes terra oras, omnes præsertim Germania, dixerim totius Europe, Academias, hoc suo decore, pulcerrime expoliens, transmittit: Adeò ut dicere non dubitarem, si Germanæ Academie se se movere possent, huic ingeniorum genetrici assurctum ire, submisusq; claritatib; fascibus à Westphalia magnâ ex parte accensis veneraturas; Si vocem edere possent Salve acclamaturas. Hoc, Aud, afferere non dubitarem, quid? & nostrum Rosetum mihi succineret, quod ex nominico hujus regionis nominatu exultare videtur, atq; ut summa sua Lumina, unicum Theologico choro, magnum nimis Theologiae Antistitem, Virum Johannem Affelmannum, qui Susato urbi Westphalia haud postrema originē ascribit; Alterū Ampliſ. Juridico confessui, magnum nimis Themidos Achillem hunc nostrum Cothniannum, qui Lemgovia nativitatem debet, crepta luget, viros nullo aeo recuperandos, viros cedro di-gnos; ita quoq; de relictis, quos adhuc de eadem gente complexu suo fovet, gaudet, sibi gratulatur, atq; tacito plausu triumphat. Atq; in hunc campum, A. si me dare vellem, hortos, in quibus istiusmodi surculi foventur, ut scholas & Gymnasia Westphalica instructissima, paulò diligentius perlustraremus, in cuius gloriæ participatione hæc regio nullâ aliam admittit. Sed ut nce tutus mihi, ita nimis o nimis amplius campus: Quorsum enim se ad Caroli magni statem expatiare vellemus, qui primum Colle-

gium

giam, primum habitaculum Musis Osnaburgae in Westphalia extruxit? Quorsum si Corbejense Collegium, quod idem Carolus in eadem regione Gratij dicavit, perlustrare animus esset? in quo, ut aeternum Musis domicilium, ita librorum quoq; aeternam custodiam, instructissimo Bibliotheca thesauro, extare voleuit: Quod aeternitatis custodium, ni à Carolo Musis relictum esset, nunc miserum se mutilatas deflere cogerentur. Quorsum, inquam, si hæc & alia, ut Monasteriene & Paderbornense, literarum sacris consecrata templo contemplari vellemus? Nempe erant tūm temporis illa Monasteria lautissima Musarum domicilia, ubi artes & lingua suavissimo complexu conquiescebat, que literarum gloria per aliquot secula sopita, jam in scholis ac Gymnasij Westphalicis è cinere rursus excitata videtur. At quid ago? pedem libenter retraho, campus nimis est vagus, tūm, ut dixi, nec mihi tutus: Penes alios sit judicium, quibus hujus gentis fama non ignota: Factum illud abundantissimè à Davide Chytrao, viro olim hujus Academia integerrimo; factum itidem ab Hoffmanno, qui hanc gentem ab invidiæ spiculis, quibus obnoxia erat, quam optimè vindicavit. Ego si illam licentiam mihi sumerem, facerem de hoc loco, non, quod aliquid prerogativa præ ceteris regionibus eidem attribuere velim: absit, sed propterea, ne quis ex silentio Patria hunc nostrum Cothmannum suspectum haberet, Arcadiam & Baotiam potius, quam ingenuum natale solum attribuens. Id quod Anacharsis Viro Gracarum disciplinarum instructissimo factum meminit Laertius, qui cum ab alijs calunnia telis liber esset, nec ullâ inuri notâ posset, exprobrata ei est Patria Scythia, & quidem ab homine, qui, licet Atticâ natus, ipse tamen barbarus & Scythicis moribus imbutus erat. Sed, ut sapientius dixi, & adhuc dico, mihi hoc vendicare nolo. Proximam Patriam Heroë nostro urbem Lemgoviam paulò superiùs ascripsimus, urbem inter Westphalia celeberrimas urbes haud infirmam, stam in me-

die

dio Lippiaci floridissimi Comitatus Viridario. Dixeris fato ita
obtigisse: Sub Lippiacâ Rosâ hic noster & Themidos flos sur-
rexit; sub Varnianâ Rosâ occidit: Dixeris divinitus itâ dire-
ctum, sub Lippiacâ Rosâ primum incrementum sumpsit; sub
Varniacâ verò suas vires accepit, exeruit, atq; in omnes terra-
rum partes odoris fragrantia sese propagavit. Nec nunc de hu-
jus Comitatu, de hujus urbis præminentia, quippe quorum fa-
ma non in obscurò est, dicam; Non adducam virorum quos
sustulere præstantiam, non fortitudinem in utrâq; & Artis &
Martis palestrâ insignem: De hisce omnibus, quæ eximia &
alto praeconio digna, Patria nostra, qui eandem cum Cothman-
no communem habemus, instillaret, de hisce, inquam, omnibus
ne verbum, cùm ob superius datam rationem, cum quia verbis
non opus est, ubi rerum testimonia adsant. Succedant potius
Parentes atq; Prosapia hujus Hectorū, qui illud suo exemplo sa-
tis manifestè demonstratum dabunt. Parentes primum in sce-
nam voco: Eugè, illi non de plebejâ & servili familiâ, sed con-
sulari dignitate præstantes. Patre natus est Diderico Coth-
manno, Consule Lemgoviensis Reip. longè meritisimo, Viro
spectatæ virtutis atq; industria, Viro fidei atq; integritatis inte-
gerrima, id quod cumulatissimè erga prædictam Remp. proba-
tum fecit: Matre vero Catharinâ Grothens ex clarissimâ
Grotheniorum familiâ oriundâ, Matronâ, ut antiquæ prosapiae,
ita antiquæ virtutis, probitatis, castitatis: Atq; ea Diderici
Grothens/Consulis ejusdem Reip. non minus spectatissimi filia,
atq; ea Alexandri Grothens/ Viri itidem de Consulari sede
longè suspiciendi, neptis. Date veniam, vos magni nostri magni
Parentes, tucq; Ave honorande, date, rogo, veniam vestra egre-
gia facinora, vestra merita atq; beneficia, Lemgoviensi Reip.
magno cumulo præstata, hac vice silentij velo obtegisse; unicum
autem, nimurum Proavi Alexandi Grothens/ aeternitate di-
gnum facinus hoc loco liceat meminisse, quod puriori Religioni
est

attributum, qua cum à maculis, quibus infecta tota tota erat
repurgari cœperat, atq; in Germania præcipuis suggestis candi-
dior resplendere ac sonare.: Lemgoviensis verò Ress. hanc puri-
tatem agnoverisset, nec agnitam acceptasset? Quin hic nostrè
Proavus Alexander, ut caput erat Reip. seducem obyicit, se in-
stauratorem primum, inquinamentū, Ecclesie summis corru-
ptelis, omnibus excusis ostendit, nihilq; quò hanc puram Ec-
clesie etiam Lemgoviensis faciem restituat, intermittit. Tuos
beatissimos manes, Alexander, compello, quid non sudasti, quos
non labores, quas curas non subiisti, quò hanc pacem, tot seculis
absconditam atq; nigrā obiectam nube, nube discussā, in tuam,
quam regebus, cuius salutem tām anxiè moliebaris, Remp. in-
tegram introduceres? quid, inquam, intentatum reliquisti,
hoc pulcherrimum institutum pulcherrimè promovendi? At ubi
tui labores? An harena semina? Ecce messē adhuc fruitur
posteritas, Deus, Deum det aeternum. Sed quid hujus unius Viri
unicum factum pradico? quid non totam prosapiam, ut ab ali-
quot seculis; ita adhucdām, Patritiā atq; Consulari digni-
tate coruscām, in vero suo vultu introduco? quid non proavum,
abavum, atavum Cothmannos (ut raceam superiores) illum
Consularis hos Consulari simul & militari virtute insigniter
splendidos conspicendos præbeo? quorum huic Nostri atavō
eximia gloria vel monumenta erexit. Plutarchus Cheronen-
sium Philosophorum princeps, nobiliores ceteris censebat, quo-
rum opes à longinquō generis primordio repetantur, aut quorum
parentes longo intervallō bonifuerint, quām iij qui propriū abs-
sint à nobilitatis sua principio: Eandem, sic me Deus, nobilita-
tem huic nostro Cothmanno conciliarem, si nobilia Majorum
facta à prima stemmatis origine pertexere vacaret, sed dies po-
sius deficeret: Exstant ea apud Lemgovensem Remp. qua iso-
rum & factorum & beneficiorum meritorumq; locuples est te-
sis, existant, & aeternā memoria exstabunt. Vos, A. hunc no-
strum

C

strum Cothmannum à prosapia speculâ contemplamini, vide-
te ab utriusq; parentis & matris & patris parte quām splen-
deat; vulgarem nobilitatem longè vincens. Quid? Annen in-
cunabula spem haud obscuram futura præstantia pollicita sunt?
Ita sunt, nempe fortes fortibus creari solent, nec imbellem pro-
generator Aquila Columbam. Felicem, ter & amplius felicem,
qui talibus natu parentibus, tali prosapiâ oriundus, à quâ non
modò lucem & gloriam, sed & ad gloriam plena habeat vesti-
gia, qua ad summa ejusdem fastigia & invitare & plano gradu
perducere possint! Sed instat noster Cothmannus, meq; tacitè à
parentibus ad sese vocat, insurans illud Aristotelis: Non
referre quâ in Patriâ, aut quibus quisquam natu parentibus,
sed quibus dignus sit; haudconveniens sibi arbitrans, ab ijs qui-
bus plus datum, quām acceptum gloria ferret, gloriam mutua-
resuam. Libenter audiam, Vir, qui nunc in cœlestibus agis, li-
benter te audiam, modò prius parentum tuorum in educando te
filio sollicitam curam tribus verbis liceat indicasse. Parens
enim ut insignis erat prudentia, quanti interficit, quomodo quis sit
educandus optimè callit, novit, ut expertissimo Reip. admini-
strator, quantum Lycurgi Lacademiorum legislatoris de edu-
^{Platarchus}
^{Lycury}
30. 31.
catione valeat præceptio, quantum ad liberorum, quantum ad
Civitatis adificationem faciat, tam expertum, quām quod ex-
pertissimum habuit, qui illud diobus catulis ab eadē matre su-
spectis, sed diversimode institutis vivâ imagine suis civibus
adumbravit: unde nec satis putavit ad educationem indolem à
parentibus instam, sed vel maximè fideliter institutoris manus
opus esse, quā quasi spiritu quodam isthac scintilla, adhuc tan-
quam in cinere sopita latitans, accenderetur. Erat namq; pa-
rentum optimum de optimo gnato consilium, quod Socrates Gra-
corum sapientum sapientissimus dictitare solitus: Optimè natis
ingeniusq; potissimum rectam institutionem adhibendam; idem
enim in hiscœ usū venire, quod in equis; quorū qui indolis ge-
nero-

27

merosioris, si statim à primis annis recte instituantur, egregij, &
ad omnem usum accommodatisi evadant; sin justè laxius
frenum detur, effrenati, intractabiles, & ad nullum usum ido-
nei. Quod probè probeq; liberorum studiosissimi parentes edocti,
illud munus communi, & pater & mater, sollicitaq; curâ arri-
puerunt, arreptum unicè egerunt, primopietatis ac virtutis se-
mine ipsa incunabula pulcrè conserentes, quo progerminante
institutoris ferula gnatum subjecere, scholaq; ac studijs manci-
parunt: Sicut namq; parentes ipsum corpus effigiauerant; Ita
mentis ut accederet efformator necesse erat. Non dicam jam,
quid huic institutioni, ut è fidelior esset impensum, qui sumptus
à parentibus facti, quomodo nulli rei, ad incrementum studio-
rum facienti, pars non dicam, quod iij, qui eadem fidelitate
filios Musarum sacris initiandos tradunt, experuntur. O parent-
num parentum in filium animum, quem tali animo educarunt!
Scimus quid homo sine literis, quod corpus sine pectore, nec homi-
nus nomine, sed monstrum hominis & Arcadicum pecus appellati-
tandus. Vestrum, Par: institutum laudo, qui hunc vestrum
non leviter, ut canis à Nilo, quod dici solet, hoc fonte aspersum,
sed totum, non sine magno sumptuum dissipatio, Phæbo devo-
tum voluistis. Credo equidem, nec vanâ fallor opinione, si de
mente ominari licet hac fuit: Aut Miles, aut Orator. Indicio
mihi certissimo est animi vestri generositas, Romanam illam sa-
piens, qui hunc Canonem juventuti proponere soliti, ad quem
velut ad amplexum, omnes vita actiones dirigere cogebantur; sin
minus Romanis finibus, ut inutilia pondera, ejiciebantur. Arg
huic optimo parentum instituto optimus filium optimè conve-
niens, viam sibi propositam anxiogradu calcavit, eò unicè co-
gitationes intendens, qui parentum voto ex aquo respondere
posset; id quod in schola Patria, ut fructuosissimo juventutis
viridario, spe future frugis, vel in ipsâ herbâ, maximâ pro-
germinante, satis uberrimè prodidit, prodidit idq; non obscurò

C 2

signo,

signo, ut si unquam Socrates post Theopompum, discipulum, ad
 cuius institutionem freno opus habuerit, habuit, ad hunc, non
 dubitem, habuisse. Usq; adeò namq; verum est, quod dici solet:
 Ubi ignis, ibi celari non potest: Usq; adeò usu comprobatum veri
 verbum: Urit mature, quod vult urtica manere. Quod si una-
 quam in aliquo veritas comprobavit, in hoc vel maximè: imo
 & obsignavit. Et qui aliter? Quem primum ipsa indoles quasi
 accendebat, illa enim cùm emicare incipiebat, in obscuro eaco-
 obiecta velo jacere non poterat, sed velut gemma preciosissima,
 velut fax in eminentissimā posita specula elucebat. Huic post
 modum ipsius prospicio accedebat contemplatio, qua indolem
 hanc ē latibulis quasi protrahebat, protractam ad altissima
 quaq; provocabat, instigabat. Eā namq; contemplatione subortā,
 quis dubitet Cothmannum secum ita cogitasse: Splendido loco
 natus es, splendidos natus parentes, aves, proavos, abavos, ata-
 vos &c. in omni virtutē genere excellentissimos, qui nihil uni-
 quam, qui se humi tollerent, famam, gloriam posteritati consecra-
 rent, intermisere. Tu quid agas? an compressa sede as mani-
 bus? Quid? Indolem habes: ingenium habes, nihil restat,
 cum Deo manum move, ing id unum unicē incumbe, quin non
 tantum partam à Majoribus gloriam tueri, sed eandem augere
 atq; finibus amplificare possis. Annon verò A, hasce cogitationes
 noster Cothmannus forvit, cum tam anxiō & sollicito gradu hoc
 juventutis suæ stadium percurveret? O generosum juvenis ani-
 mum, qui in ipsā juventutis herbā statim efforuit! Et hoc
 etiam inde patescit, quod cum aliquò adulteri factus, judicio
 paulò confirmator, patrio solo diutius adharere non potuit:
 nam quod Bæoticam redolet ignoraviam suæ terra semper affixum
 esse, generosa verò indoles calum semper motu gaudens, certoq;
 loco stare nesciens, imitatur. In nostro Cothmanno eadem animi
 virtus: Petit ex Patrij soli carcere sese dimitti, ac liberum ad
 peregrinas oras abeundi spatum. Quid ageret parens, bona
 iſſius

sius indolis filium trahentis probè conscius? retrahere non pe-
 terat, ne tām honesto proposito viam obstrueret. Petitioni itaq;
 morem gerens pater (matre etiam tūm orbatu erat) voti filium
 damnavit, atq; ad Dusseldorfianum tūm temporū florentissi-
 mum Gymnasium à se dixit, ubi telam artium & linguarum,
 in scholastico absolvendam curriculo, in patrio verò Gymnasio
 feliciter incepit, plenariè pertecit; quā cum laude, quo cum
 successu, quīq;, qui indolem ejus modò inspectam habet, ex sece
 rationem facere potest. Habetus, A. hunc nostrum in triviali-
 bus accrescentem viretis; Nunc in Universalibus vernantem
 & verè florentem videamus. Quo artium ac linguarum decore
 quā im pulcerrimè vestitus, Academiarum quoq; copiam deside-
 ravit, per qua vestigia ad propositum fastigium pervenire posset.
 Parens itidem, ut nunquam currenti obesse voluit, sumptibus
 honestis abituriētis vela promovit, ad Academias, Julianum pri-
 mūm, deinde Marpurgensem, alias q; Germania celeberrimas,
 tanquam ad artium tām superiorum, quām inferiorum empo-
 ria ac mercaturas, filium alegans, quarum Musas non una
 sed ambabu, quod ajunt, manibus tractavit, non à limine salu-
 tavist, sed toto complexu forvit ac amplexus est. Musas dico, sed
 quasnam? sacra Themidos, inquam, naturā ita arcanis suis sti-
 mulis instigante parente quoq; indolem filij probante, approban-
 te. Ausim dicere, ipsam iustitiam naturā ignem excitatē dicere assi-
 sm. Nec abs re: Hec enim, velut ex altā speculā, exurgentēs
 in suo equore fluctus proficiens, hanc, ut futurū nautam
 peritissimum, excitavit, eiq; clavum quasi in manus dedit. Cui
 Natura ductu curam addidit sociam, quæ duæ sub uno conjun-
 ctæ jugo, optimum constituant remigium, imò optimam & felici-
 em navigationem faciunt. Sed hac omnia non nisi Pietatis frō-
 missimā ancorā, divinā implorat à luce, firmissimē positā, quā
 sine quā hac nostra in studijs peregrinatio sit ex fontibus Iyrae-

lè optimè hauserat; nempe quod Scaliger ait, perpetua oberra-
tio: Quā innixus vela quidem ventū permisit, sed quanto cum
labore, quanto cum sudore illam, quam paulò ante nominavi,
studiorum curam promoverit, fors illi, qui in hoc vassissimo ju-
ris aquore velificantur, melius agnoscant, nobis inexpertis per
nubem à posteriori vidiisse, & ex anguisibus leonem agnoverisse
sufficiat. Sin Cothmannus ipse ex hoc loco verba faceret, plenius
planiusq; exantatos labores exponeret, edoceret, nihil dubito,
suos sectatores, quād omni in re post pietatem labori litandum;
imò & indice quasi digito, quomodo periculisimi sinus enavi-
gandi, ostenderet. Quā in parte nec sibi, cum hoc fretum scin-
deret, quicquam defuit, ductoribus Viris Magnificis ac Con-
suliss. Nicolao Vigelio, Valentino Forstero, Regnero Sixti-
no, alijsg; haud imi sub sellij mystis quām plurimū, quorum du-
ctus felicissimè remum duxit. Nolo hīc prædictorum virorum
commendationem suscipere, nolo illorum famam meo encorio
suffaltire, ut potè que per se satis constas ac subsistit; Felicem
potius nostrum Cothmannum prædico, quod eā etate, quā ho-
rum virorum ductu frui potuit, in hoc Oceano persatis sit. Atq;
hanc felicitatem, ut bene, non minus ac Alexander Magnus de
Aristotele sibi gratans, agnovit; ita etiam bene manibus, quod
ajunt, admotis sibi locandam censem. Factum, transactum;
Et si non aliundē, ex eventu saltem, fructum pleno sinus atte-
stante, sati forte indicium sumere licet. Quid n. Deo itā indu-
striam adjuvante manus tandem non effecerunt? effecerunt
(Magnifici Juridici ordinis Decani verba, ex programmate su-
per hunc virum publico, mutuo) effecerunt, inquam, ut ante
tempus & etatem mystis primoribus accenseretur. O eximium
industriæ decus, quod, sibi quasi proprium, hoc nostrum decus
vix ulli communicat! Sed altius inquiramus, nondum his ter-
minis ejus industria substituit, pro generosâ suâ indole itā ratio-
ginans; Aut nates, aut pereas, Tanto virtutis non ornamento
modò,

modò, sed monumento, in predictis Academijs manu dextrâ ex-
structo, inde sublatis ancoris, cœs divino instinctus numine, pa-
tre quoq; utrovis oculo annuente, in hanc aliam Rosurbinam
studia sua transponit. O diem felicem & faustum huic Acade-
mia, quo hanc Aquilam ad se ad volantem apud se diverten-
tem vidit! Aquila ad volatus faustus judicatur, quidni omnia
fausta secum attulerit? Scilicet Lippiaca Rosa ad Megalburgi-
cum Rosetum: Supra memini, & adhuc stat sententia, sub Lip-
piacâ Rosâ natus, sub Lippiacâ educatus erat; in Megalburgico
Roseto radices agere, vires exercere, quid? Megalburgicam fra-
grantiam suâ totum imbuere, flore exornare, fæcunditate exco-
lere debuit, fato, certus sum, ita destinatus. Quid animi erat,
tu nobile Rosurbinum, annè tacito, hoc viso hospite, gaudio per-
fundebaris? Annè blandè advententem excipiebas? Varnia-
des tuas Athenas facturo annè acclamabas? Sic est: Quis du-
tet omnia Salve, Salve personasse; Salve cives exceptatissime, Sal-
ve future Professor, future Syndice desideratissime, Salve inclyta
Megalburgica domus Consiliarie, Salve Cancellarie veneran-
dæ, te nostra pulpitæ, nostra subsellia diu expectarunt, suspira-
runt. Atq; hac futura felicitas statim in ipso adventus limine
sese prodidit, aperto namq; penuario, omnibus jurisprudentie
aromatibus refertissimo, tantam statim fragrantiam sparsit, ut
ad eius nominis odorem studiosi (Rursus verba Clariss. Decani ci-
to) non secus ac musca agminatum convolarent: Nimirum pro-
ba merx, ut dici solet, facile emptorem allicet, nec vino vendi-
bili haderâ suspensa opus est. Tantâ enim industria, tantâ
cum laude suis Collegijs præfuit, tantâ cum luce informavit, ut
innumeros Thermidi alumnos, filios, inquam, excitaret, innu-
meros Aularum & Curiarum milites, herœs, inquam, ac He-
röres manu quasi effingeret, formaret, adornaret. Aulas, A-
cademias, Curias obtestor: Agnoscunt, & hodiernum agnoscunt
illud multi haud extrivio viri, qui felicitatem suam in admini-
stran-

Brandæ Rep. in regendâ principum consilijs, docendoq; in Aca-
demij, hujus nostri Cothmanni Collegij maximam in partem
asscribant, ac debere sese aeternam pro tantu beneficijs & me-
morijs & gratiam literis subinde missa adamantyno stylo ate-
stantur. In promptu res est, A. quid ulteriora querimus testi-
monia? Unum adhuc superest, publicum, quod alma hac Aca-
demia suo calculo approbarit, manu confirmavit, sigillo, ut in-
dubitato fidei symbolo, obsignavit; Atq; illud laurea, atq; illud
Doctorale Diadema, ei ab Ampliss. & Consultiss. Viro Hen-
rico Camerario, iuris Professore, & tum temporis Decano di-
gnissimo impostum. Sic, sic, Aud. tandem triumphi; Ita Mur-
se Suos coronare solent. Felices verò qui ad hoc aureum vellus
aspirant, feliciores, qui attingunt, longè felicissimi qui abspor-
tant! Ecce tibi hunc nostrum; aspiravit, idq; toto pectore, vi-
dimus; attigit, idq; de xero Hercule, audivimus; absportavit
nunc lustramus, idq; dignâ cum laureâ. O felicem, o felicissi-
mum! Sic juvabat Jovis filium sive Herculem surrexisse, &
sopito Dracone, omnibusq; molestijs ac impedimentis forti manus
exuperatis, aurea pinnæ, seu præmium tantis molestijs dignum,
abstulisse. Herculi, Aud., præter ablatum præmium adhuc
columnæ erigebantur, aeterna istiusmodi facti pracones; Nostro
Herculi qua aeternitatris monumenta ulterius apparata, consta-
bit, ejus vitam atq; facta honorumq; gradus si paulò altius de-
duxerimus. Hac ita redimitus laureâ Wittebergenses insuper
Musas salutare placuit, ubi, cum ventum, dignè, ut par erat, à
notis exceptus, virxitq; in magnâ & amicorum & Mæcenatum
affluentia, (virtus enim ubiq; suos favorites, suos patronos in-
venit) in tanta tam egregia virtutis ac eruditioinis admiran-
tium, imò & acclamantium copiâ, ut in ore atq; oculis omnium
positus, velut Aquila, ut ajunt, in nubibus habitus fuerit: ve-
rum quia supra diximus hanc Rosam Megalburgico Roseto fa-
so quasi destinatam fuisse, occulto quoq; satorum instinctu ad
hunc

hunc nostrum Varniacum portum, velut nativum sui, plenis
velis rursus appulit; quanto cum Studiosorum, etiam Juris Cano-
dicatorum, ejuo doctrinam avidè expectantium, ab ore ejus in-
star liberorum à parentibus pendentium, aplausu, quanto cum
Professorum, eum ut filium & fratrem (publicum Academie
testimonium testor) colentium, voto, dicere non possum: Ubi ut
Academia hunc Themidos Alumnū sibi devinctū servaret,
splendidi cum amplissima Heiniā familia contracti matrimo-
nij vinculo, dicam, an decorarunt potius, quam astrinxerunt?
Longum foret si connubiale hoc decus, ei tūm temporis datum,
lineis suis describere velle, longum si stores, qui hunc statum
eximiē ornare solent, in ipso autem omnes enituere, suis colori-
bus depingere, si in educandis liberis adhibitam fidelitatem vi-
vā imagine exprimere velle. De educatione quidem vivum,
in unico, qui adhuc superest, filio, exemplar habemus, paterna
simulacra vel in fronte ostentans: Reliquum totum conjugij
actum, cū quia in publicis deliniatus programmatibus, tūm
quia temporis angustissimis, quibus conclusus, finibus à tām latā
divagatione retrahor, attingere supersedeo. Ad honorum & offi-
cij amplissimos, in quos collocarius gradus, gradus facio, quibus
probè inspectis atq; perspectis non possumus, quin Seneca, virtu-
tem hominem extollere, & supra astra mortales collocare, di-
centi subscriptibamus, imò non possumus, quin exclamemus: O
virtus, quibus non beneficijs atq; dignitatibus favitores tuos
officere, quibus non munijs cultores tuos præficere soles! In no-
stro Cothmanno virtus domicilium acceperat; At latuisse eum
commiserit, nec in conspectum hominum, atq; oculos protraxisse?
Quin excitat Hercēs, oculos ijs aperit, tantum tām cla-
xum lamen ut videant, videant & visum splendore suo agno-
scant. Respicere ad illustris ac Celsiss Principem Huldericum,
Ducem Megapolensem pia memoria laudatissimum; Ille,
Cothmanniace virtutis magis magis effulgescentis spectator

D

ille

ille explorator, ille promotor adest, Cothmannum primum Consilijs, tum judicio Provinciali, deniq; Consistorio Ecclesiastico Assessorem diligens. Euge tria munia utring splendida & Viro prudenti digna, quibus noster Cothmannus veluti aureis insignibus, veluti vestibus preciosissimis, auro atq; gemmis splendentibus, induitus est. Nihil dicerem, de virtutis in hoc Viro praeminentia, si unum aliquid insigne ei datum; Nihil de singulari, quā emicuisse necesse est prudentia, si non irrum ei navium (ut ita loqui licet) gubernaculum, & quidem uno tempore, commissum esset. Quam provinciam tamen, cuius pondere vel Hercules aliquis obgravatus succubuissebat, adeo masculine obiit, adeo feliciter divinā adjutus gratia sustinuit, ut omnes tres naves sibi demandatas, non modo feliciter gubernaverit, b. e. spei atq; expectationi de se concepta dignè responderit, sed & navibus in portu collocatis onera istarum educendo vicerit, sed longo intervallo exuperarit. Grandes verò lacertos tantū molibus, tantū oneribus sustinendis! At noster Heros sustinuit: O Achilleas vires! Videbat hoc oculatissimus Princeps cum ad solem hunc solem vocaret, videbat has vires cum tantar eis humeris moles imponeret, in procurandis rebus dexteritatem, felicitatem, fidelicitatem, omniaq; prudentia expressissima impressa habere vestigia, videbat: At videbat, in & grato animo reponebat, benè merita suo precio expendendo, expensa suo fænore exolvendo. Cujus exempli, Huldarico ex hac vita Anno 1603. excedente, successor ejusdem Dux Carolus permotus, hæc Cothmanno a predecessor collata insignia non modo non exuit, sed confirmavit, stabilitvit: Nec hoc solum, sed moribundus commendavit eum suo successori, Reverendiss. Præcessissimoq; Principi ac Domino, Dn. Johan. Alberto, monens hunc, ut optimè meritum Consiliarium, de sanis concilijs nunquam amittendum: Quid est si non hoc est Conciliorum curam habere? si non hoc est gratum erga benè meritos animum exercere? Quid cause:

causa erat Celsiss. Princeps, cum pro hoc tuo Consiliario ita intercedebas? annon satu erat te eundem digno loco fovisse, sed praterea alijs commendare voluisti? Scilicet latius benè merendi fores pandere volebas, gratitudinis verò de benè meritis sonores haud avum occulti, ne instabili tuo cadete corpore regimine ad posteros devoluto illorum simul memoria interiret. Animus & concilium de Consiliario principe dignum! Audivit Celsiss. Princeps Illustriss. Patrui magni consilium, audivit, obsecundavit; talemq; re & facto invenit, ut cum Carolo Anno 1610. defuncto Imperij copresseret gubernaculum, eum non Consiliarij nudo, sed Cancellarij sublimi munere dignandum censuerit: At dignandum? dignum potius protrahendum elevandum dixisse, neq; enim tam cupidus, quam invitus tantam dignitatem assumpit. Duo hic non possum non mirari: Et Rev. magnanimo- rumq; Principum in eligendo Consiliario providentiam; Et Consiliarij, quae exhibuisse necesse est, fidelitatem. Ex providentia quidem, in eligendo electoq; conservando Consiliario, principum eximiam virtutem vereq; principem licet agnoscere: Sciebant namq; quid regna, quid urbes absq; Consiliario, nempe quod adiicia absq; fundamento. Imitabantur hac in re peritiores architectos, qui sublimioribus columnis firmiores bases, quo ingenitum adficiorum pondera sustinere valeant, substernere solent; Idem non minus principib; necessarium videbant, qui quo majoribus sufferendis oneribus nati, eo Consiliarios adhibere praestantiores opus habeant, quibus haud aliter quam stabili fundamento innitantur. Credo equidem, Aud., Fridericum Furium hunc Principibus nostris animum ingessisse: Non minus pane, dictitans, principi opus esse, ac Consiliarijs. Credo adfuisse eum, & hoc suum instillasse: Primum iudicium (ita verba sunt) quod de Principis virtute sit, ex habilitate Consiliariorum sumitur: Nam si sint prudentes atq; idonei, Princeps prudens creditor, ut qui perspiciat quales idonei ac apti, & ijdem

commode in officio ac fidè retinendi sint. Sed si tales non invēniantur, nec aliqua principis prudentiae existimatio esse potest, quandoquidem in re principali errat, qui autem in ea delinquit, etiam in alijs erret necesse est: Nam quemadmodum, si scaturit
go fontis corrupta sit, aqua omnis quæ inde fluit necessariò quoq; depravata est: sic sacro consilio male constituto universam gubernationem errore duci oportet. Hoc A. ipsum Eurium Rever.
Principibus, cum de acquirendo retinendo, Consiliario tām solliciti erant, indidisse puto. Sed quid Eurium moror: Habant
sacram scripturam ducem, habebant. Davidem Regem felicem
prædicantem, qui animum ad Consiliarium converterit: Ecclesiasticum quoq; Consiliarium singulare Dei donum reputantem.
Habebant insuper omnium Cordatorum Principum exemplum,
qui ut fretum suum secundis velū enavigarent, id unicè spectarunt, qui quām firmissimā Consiliiorum ancorā firmati essent.
Exempla sub oculis ponere supersedeo, sunt ea in promptu omnibus,
quibus orbis illa lumina sub oculis. Veneror modò tām eximiam Principum in eligendo Consiliario Cancellario providen-
tiam: Juppiter, ut ferunt, Aquilam altissimi volatus avem de-
legit, sibi ut fulmina porrigeret; Idem de nostris dixerim Princi-
pibus, qui ut Imperij sui potentiam exercere possent, hanc sibi
Aquilam, ut sublimem in terrū Avem, fulminum porrectorem,
in administrandi scil. salutaribus consilijs, adjunxerunt. Sed
quid per anigmata? Agamemnon non nisi Nestores amabat; sic
illi non nisi longo rerum usu periti simos, unde & hunc, non ut
Consiliarium & Cancellarium, sed ut Patrem semper coluerunt.
Beneficia in hunc Nestorem plenā manu effusa taceo, taceo me-
rita quām aquā semper lance ponderata, ex quo tanquam ex
speculo singularem Principum affectum, quo hunc suum prose-
cuti fuerint, cognoscere liceret, sed, ut dixi, taceo, norunt
omnes, qui hunc Nestorem huic Agamemnoni non invidenterunt.
Constat, constat illud, si non aliundē, vēl ex hoc solo, quod in-
extre-

extremo vite actu, cum alijs modis optimis Princeps ardentem
erga Cancellarium affectum prodere non posset, pharmacothe-
cam suam apertam voluerit, ex quâ, velut ex Arabia divite
pena medicamenta preciosissima agro decumbenti ministraren-
tur. O Principis erga Cancellarium affectum! Subeas nunc
quoz ipsius Cancellarij admiratio, qui tanto honore, tanto
istidem amore dignus judicatus. Et quidem si honoris sive mis-
neris sublimitatem spectamus, merito huic nostro Cothmanno
de hoc titulo gratulamur, merito cum suspicimus ac venera-
murs; Scimus namq; quanta hujus munieris dignitas, cum ut
Philosophus ait: τὸ βέλευοδι τὸν τοῦτον αὐθεωπων θάτον δῆ:
Consiliari omniū rerum inter homines sit divinissimum. Certe
divinissimum! Noster verò Consiliarius Consiliariorum, dum
vivebat, caput fere erat. Video in stuporem hoc audito nomine
auditores se convertere, video hanc vulgarem ex commemo-
ratione hujus tam divini munieris huic Auditorio lucem exoriri;
nec fallar, si ipsos parietes debitam nostro Cancellario reveren-
tiam contestari dicam. Sin verò ex Principum, quo suum Con-
siliarium ac Cancellarium semper dignati sunt, amore judicium
faciamus, non possumus quin eximiam simul, quâ eluxisse,
alijsq; praluxisse necesse est, virtutem suspiciamus. Quorsum
enim illa omnia? tam impense, tam constanter Cothmannum
amatum, & de manu, quod ajunt, in manum? Romani supe-
riori Africano, propter egregias virtutes atq; merita Reip. pra-
fissa, continuum per omnes vite annos Consulatum, perpe-
tuamq; dictaturam tribuere volebant; Idem Cothmanno nostro
in Consilijs tributum, quis non videt? Causam istius quis non
eandem pronunciet? Faciebant illud in provinciam merita, fa-
ciebant dotes quibus prae omnibus dotatius, datus erat, quibus
zanquam Cupressus inter viburna eminebat. Dotes dico: Quic-
quid enim omnes unquam Consiliarios Cancellarios commen-
daverat, quicquid sigillatum omnibus natura sigillatum imper-
tiera;

D 3

tiera;

sierat, illud omne in una Cothmannianâ facie videre erat integrum. In considerandis atq; judicandis rebus prudentiam inspicias: Paris hoc cum facientem invenies neminem, ut quod Julianus Caesar de hostib; suis in ore frequenter habuisse fertur: veni, vidi, vici; illud de Cothmannianis non incommode negotijs dixerim: Quām primum ad ejus manus venerunt, quām primum vidit, vicit, h. e. feliciter statim decidit. Dexteritatem & fidelitatem in agendis rebus? Emorior si ulli cedit. Atq; utinam, utinam, inquam, hunc aulicum hortum aulicis consitum floribus perlustrare, utinam flores istiusmodi, qui hunc consensem insigniter amicire solent, decerpere liceret, omnes omnium colores in hoc unico nostro exemplari vivis lineis demonstraremus. Sed videtus A. quām angustis terminis conclusi simus. Quin & Academia nos ad se totos convertit, insaturrans, ne & beneficiorum sibi collatorum, quorum amplissimam messenam monstrat, obliuiscar. Obstupesto A. & ferè vox faucibus haret, hunc in campum cum circumspicio, obstupesto & mecum hoc totum Auditorium! Prae oculis tantam messem video; At ego demetiar? Prius mare exhauijam. Deploro patius, nihil possum amplius, quem hac Academia habuit, quem amisi Patronum; Habuit quo caput dicebatur in totâ Germania; Amisi, cuius fama celebritate, vertice ut Atlas cælum tangebat, Oraculum inquam, Oraculum Themidos amisi. ad quod consulendum Reges, Principes, Urbes, Nobiles ex omnibus terrarum finibus magno numero legatos mittebant, ad quod audiendum Studi se omni ex gente in numero agmine convolabant Tholosa Gallia Academia Johannem Corasium celebrat, ad quem audiendū libros Miscellaneorum prælegentem concursu trium millium auditores confluxerunt: Vos subsellia obtulstori, an auditores capere poteratis cum hunc Doctorem profitentem, disputantem audiebas? Quantam laudem, quantam claritatem præminentiam Academij Gallie & Italie Alciatus conciliaverit? quantam celebritatis prærogativam Academij Patavina, Bononiensi, & Papiens

Papiensi Jasonis, nec non Saliceti, Pauli de Castro, ut & Jacobi
Alvorati fama, nemini est incognitum: Quanta quoq; Germania
Academijs; ut Friburgensi ex celeberrimi Icti Zasij, Al-
torfini in Noricis ex summi Icti Donelli celebritate, (ut alias
mittam) lux affulserit, quanta celebritas, nemo est qui igno-
ret, nemo qui non admirationis loco acceperit: Nec non quanto
fulgore magnum Vultej lumen Marpurgensem Hassia Acade-
miam illustraverit, nemo non videt. Eandem verò lucem, ean-
dem nominis celebritatem, quam prædictorum virorum fama
prædictis Academijs conciliavit, eandem, & haud minorem,
Rosurbinum nostrum ex hâc suâ Rosâ sibi vendicat, qua non
minus latè odores suos sparsit. Vultejum, Jurisprudentia istum
Hassia q; oculum omnes Germania anguli vident, omnia The-
midos pulpita Vultejum sonant, personant: Nostri Cothmanni
nomen eodem venit, omnia Germania clima pervasit, omnes
sacrarum legum cathedras occupavit. Wel se quisquam est, qui
hoc Rosurbini lumen cum Marpurgensi illo Hassia aquè clarè
splendere dubitet: Ecce dō vobis confidentem, Vultejum ipsum
publicè profitentem: Neminem se laturum superiorem, sed uni-
cum Cothmannum parem: O nominis famam, quali tota Ger-
mania non majorem, sed unicum parem celebrat? Atq; ea Rostochiensis
Academia Seniori ac Syndico Cothmanno fertur.
Nemo est qui dubiteret, quid in Academijs Ictorum sani Collegia,
nemo, quem fugiat, quid Themidos in Masarum habitaculis
oracula: Quod in panno purpura, quod in annulo gemma:
Quæ eadem causa movit, nullum dubium est, Justinianum Im-
peratorem, quod pulcherrimam Berytensem civitatem, floren-
tissimq; urbes, Roman & Constantinopolin Juris atq; legum
sacrî unicè devooverit: Istud Juris decus in Karniaco Roseto
effulsiſſe dixeris, dixeris leges Constantinopoli pulsas Rostochi-
chium migrasse, ibidem, magno Cothmanno profitente, resonasse,
ibidem arcem ac sedem posuisse, Rostochij illud palatum, Rosto-
chij

ebij illud templum , quo leges , quo jura per magnum Cothmanum
nunquam alia voce promulgabantur . Norant Germaniae , aliarumque
finitimarum regionum , Reges , Principes , norant Urbes atque pro-
vincie eas iustitiae fores Rostochij reclusas esse , cum Cothmanni
fores a consulentium atque responsa expectantium turbam quotidie
crepare faciebant . Atque idem Ampliss . Juridici ordinis catus
agnoscit , dum hunc Seniorem suum ut Parentem , ut Praeceptor
rem surreptum publico programmata luget , dum eum Achatem ,
Theseum , Atlantem , immo Herculem coluisse attestatur : Scilicet
Herculem : Faciebant hoc Herculei ejus labores , quos in & pro
Academiam humeris suis atque grandibus lacertis sustinuit . Liceat
mihi hoc loco ipsius juridice ordinis Decani verba citare , de ex-
antlatis his usus Herculis molestis ita loquentis : Molem certè la-
borum adeò immensam sustinuit , ut quod de Achillis armis Ho-
merus scribit ea Achille defuncto à nullo moveri potuisse , de ar-
mis togata militia Cothmannianis dici haud immerito queat .
Qua verba cum venia admirationis hoco huc adducta volo .
Suspicio tamen Amplissimum Consuliss . Virorum confessum ,
quando intueror , suspicio atque prudentia , gravitate , autoritate
illorum contremisco : Atque isti tali hunc Collegam suum defun-
ctum testimonio prosequuntur ? Obmutesco prorsus , nec verbum
quod addam vix habeo . Atque hoc bellum omne noster Achilles
in Rosrbino campo militare voluit , quod idem eximium erga
hanc provinciam , erga hanc Academiam amorem dicitatis , benè
merendi nimurum de benè meriti , unde etiam huic soli ejusque
commodis unicè insudandum putavit . De Homero pulcherrimo
cive urbes Graeciae certasse historiæ tradunt , nec non de Philippo
Corneo testantur , qui quinquaginta annis jura professus est , eum
certatim ab Academij , praesertim Florentinâ & Ferrariensi
expeditum esse ; Et hoc quoque de hoc nostro Professore , verè dice-
re possumus , cum tot tamen optimas conditiones , vocationes ad ma-
gnos Imperij Electores , ad summas Principum aulas , ad Aca-
demias

demias urbesq; habuerit: Quod autem non acceperit, id amori,
at diximus, erga hanc provinciam Academiamq; tribendum,
sui quasi natus ut optimè merita, maximè sua merita devovere
volebat. Ecce Professorem, ecce Seniorem & Syndicum tuum
alma Rosurbina, qui te nullo in casu relinquare voluit, à te ut
abstraheretur nullis pramijs vinci potuit. O fidam Academia
ac Provincia columnam! Scilicet omni in re ita recto pectori
procedere solebat, dicta simul facta erant, sinceritate, fide, pro-
bitate nulli secundus, non muneribus sed justitia unicæ obediens,
omni ex parte tanquam ex ovo, ut ajunt, candidus. Sed quid
ego hoc verbis commemoro, quod reliqua scriptorum monumenta
fortiter dant evictum: Quis non vidit magna Cobmanni vo-
lumina? cui non nota vel manibus trita Cobmanni Consilia,
ut & Academica Responsa? Pro Academiam autem quam acriter
pugnaverit, quam fortiter pro istius salute, tanquam pro aris &
focis, steterit, quis nescit? scripta scripta arguunt, si quis igno-
ret: Quo nomine hac Academia gratias ei debet immortales.
Quid in se habeant, quid sapient ejus scripta non est meum me-
morare, quod idem esset ac si cæcus colores, si sis tubâ canere
vellet, quippè qua serinia ab oculis meis quam longè abdita, ure-
de nec hanc lineam movere mihi tribuo, norunt, suspiciunt illi
qui eadem recluserunt ac scrutati sunt. Ego id unicum dico,
quod à famâ plenis buccis & buccinis decantatum habeo, conti-
neri ijs thesaurum justitia nullo precio estimandum. Admiror
potius, quam ut ex meis verbis aliquid laudis addere opus ju-
dicem, & tamen si in animum id sumere vellem, reverer & mihi
contingeret, quod alicui in Herculis encomium ingressuro, ubi
cum Antalcidas in argumentum sermonū inquireret, eis responsum esset, Herculis Encomium pro argomento futurum:
Quis, inquit, illum vituperat? Supervacaneum existimans in
eolaudando operam sumere, quem uno ore omnes predicarent:
Hoc & A. ne & mihi hanc in re (licet de toto hoc instituto diei
E possit)

possit yusu veniat, communis fama suffragio, communis omnium
praconio libenter contenti sumus. Nec solum in juridico orbe
eius laus efforuit, ita ut omnis ejus scientia juris terminis
conclusa fuerit: Quin & sacrum Codicem ad Justinianum
addidit, Theologicum campum ingrediens, Divos Pa-
tres, imprimis Augustinum, assidue contemplatione perlun-
ctans: Quo incursu tam feliciter versatus est, ut integras
controversias Theologicas manus suā decidērit, locum de Sacra-
mentis, locum de Dilectione inimicorum, ut & alia, adeo dextre
excusserit, ut integros de ijs tractatus manuscriptos post se re-
liquerit. Vide A., quem ante IClum mirati es sis, nunc Theo-
logum videte, vide & suspicite. Non possum hic Ampliss. De-
cani verba silentio praterire, eum sacrum Codicem & Patres
adeo calluisse afferentis, ut quod Cicero de se gloriatur triduo se
IClum fore, id meritisimo jure sibi in Theologiā Colbmannum
vendicare potuisse. Orarum, ò inauditum viri exemplar in quo
duas velut facies, unam Jurisprudentiam, alteram Theologiam
referentem confidere licet! sed quòd altius in hujus viri memo-
rationem provehor, eò amplior admirandi campus, eò uberior
laudandi missis se prodit. Videò in admirationem, video in
suporem auditores resolvi: Dignè dignè, sed audite quid de
Probitatis qua reliquit, monumentis referam: Eam ut exercere
eò posset melius, alijs q̄ commendare, libellos precationum conse-
nit, evulgavit, ex quibus, veluti thesauris & promptuaris re-
fertissimis, contra omnium generum calamitates, quibus humana
mortalitas obnoxia esse solet, medicamenta capi possent. Quid
dicemus Auditores? Raram, ò raram in terris avem! Quid
est, si non hoc est Pietatem coluisse? Quid? quod & omnia ejus
scripta haud obscure attestantur, istiusmodi sole undique aspersa;
insertis non adeo raro precatiunculis ex sacrarum literarum
penum petitis. Hac innata Pietas credo ei tantam fidem, tantam
sinceritatem, tantam humilitatem ingessit, quibus virtutibus,

no 2

ut Sol inter reliqua sidera longè cluxit; Atq; ut cætera omnia,
est insignis quā polluit prudentia, insignis quā effloruit eruditio
ac doctrina, admirationem habent, admirationem autem? imo
stuporem inducunt, tantam excellentiam in hominem cadere
posse. Ha tamen virtutes vel maximè, quippè ab humano in-
genio aliquid divini spirantes. De sinceritate & fide, quam
omnibus exhibuit, nemini est incognitum, quam singula ad
justitiam veluti Lydium lapidem prīmū affricaverit, quācum
se conveniebat tām sincero poctore tractaverit, ut meritò ju-
stitia oculua atq; magnus Patronus dici potuerit. De Aristide
autor est Plutarchus, ex ejus omnibus virtutibus Justitiam
populum maximè animadvertisse, quod istius usus perpetua &
omnium maximè communis esset. Cothmannum nostrum alte-
rum Aristidem merito jure appellaverim, ex cuius Justitia non
minor fructus in populum redundavit. Muneribus autem se
vinci passus sit? Quin accensu potiu in in justitiam acerbis
animadvertisendi, non minus illis, quām huic infensiissimus. De-
mosthenes eos homines imprimis laude dignos pronunciabat,
qui nullam anteponerent justitia utilitatem: Pecunias enim
quemq; possidere posse, ajebat, at justitia gloriā pecunij hand-
quaquam emi. Et noster Cothmannus, nullam, ut audivimus,
justitia utilitatem anteposuit, unde etiam hanc justitiae gloriam
absportavit. De Humilitate usq; adeò verum est, ut licet ha-
buerit quo se alijs, cùm de originis claritate, cùm vel maximè
de singulari eruditione ac doctrinā, preferre potuerit, in emi-
nentissimo loco, in oculis omnium positus, omnibus tamen se se-
parem fecerit: Ponderavit namq; illud Bernhardi, non minus
fortiter & verè, quām eleganter & nervosè dicens: Virtu-
sum stabile fundamentum est humilitas, quæ si omittitur vir-
tutum congregatio non nisi ruina est. Et hoc est quod Poëta
figunt, Dadalus submissis aliis tutus volabat, Icarus altis pennis
salutem notans in terram decidebat. Quod ut optimè Heros no-
strus

per ex communi vita bauerat; ita ed omnes actiones totamq;
vitam dirigebat suam. Hicè insignibus, quibus praececelluit, vir-
tutibus, non parum splendoris Beneficentia addit, quam ergo
omnes, & præcipue erga pauperes, largamans exerceuit; Erga
omnes si non quidem aris semper, consiliorum & aliarum rerum
ope tamen; Erga pauperes autem eos suam manus sublevando, ut
commune omnium hic noster Asylum meritè dici potuisse.
Pythagoras aliquando interrogatus, quare ratione homines dijs
similes haberi possent? Si Veritatem respondit, amplecederentur,
& cunctis benefacerent. Ex neutrâ parte huic nostro aliquid
deest; Veritatem, ut vidimus, ambabus ultro amplexus est; de
beneficentia erga cunctos en nunc! Quid restat, quam ut cum
Pythagorâ dijs eum similem prædicemus. Sed nolo ego hac ex-
alia, qua Cithmannum, qui tamen & se, dum dixeret, homi-
nem esse meminerat, ab hominibus inter numina collocant, ver-
bū meis extollere, omnes omnes, quos non invidia suis furijis
agitat, norunt, suspiciunt illud numen, admirantur, veneran-
tur. Fortunæ dona, quibus cum naturæ eminentissimis dotibus
affluxit ac abundavit, non attingam, ut dicere Naturam cum
Fortunâ, se conjunxisse, hunc virum mutuis præmij inter mor-
tales ut extollerent: Sed taceo: Ut & omnia alia, qua dicenda
supereffent. Unicum adhuc extremis digitū, quo, cum extremam
vita clausulam coronaverit, ego eo ipso quoq; huic nostrâ oratio-
ni extremam clausulam & coronaudem inponam: Quid illud
est? hoc est, quod Medicæ arti ei imperijs scientia, quam cum
per vitam exquisitissimam sibi comparasset, in ultimo vita actu
imprimis exerceuit, tum enim cum nullam in medicâ arte, ut istius
baud ignarus, spem superesse videbat, se totum totum, quantus
quantus erat, ad unicum generis humani Salvatorem Christum
Iesum, omni mortalitates cogitatione abjectâ, convertebat, fidu-
ciâ omni in hoc solo, veluti sacrâ ancorâ, positâ, quam ore argo
omnibus rebus testamat faciebat, sumpto salvifico corporis ac-

ſax

sanguinem Christi viatico ad beatissimum vita exitum sese instruens, qui ei desideratissimo obigit nocte, qua 13. diem Aprilis processit. Noctem ut omnibus, qui hujus viri ope in vivis gaudebant, nubilam & atram, ita candidam, ita felicissimam huic è mortalitatè vinculus soluto! O vita humana quam instabilis rotè circumvolveris! O Mors quanta tua in humanum genus atrocitas! italicè mundi lumina, mundi fulcra à tuis tua-
ta insidijs? Quin omnes aquo pede aggredieris, tundis, proster-
nis. At tibi Colchianne, hac mortu non atrocitas, sed summa di-
cenda felicitas, cui in calidam Patriam per eam abitus paratu,
ubi mortalitas sarcinā de posetā in Divō beatorum cætu, Victo-
ria, Victoria, ingemines; Nos interea tuā destituti ope, Misericordia,
Misericordia, magna singulis declamamus. Audivimus illud die
18. April. imprimū, cum tua exuvia in dormitorium reponeban-
tur, ubi cum Evangelica Canticū Jubilate nobis ingerebat, no-
strum Jubilate in miserum Ejulate conversum est, audivimus,
imò & aëra, imò & calum, imò & lapides, qua nobiscum in la-
Etiam sese convertere videbantur, audiverunt. Academia Se-
niorem suum; Juridica Ampliss. facultas Praeceptorem & Pa-
rentem suum, Professoram alijs Collegam desideratissimum; alijs
Promotorem ac Mecenatem venerandum, Populares magnum
suum Patronum; tota autem Studiosorum cohors magnum
Praeceptorem suum sibi surreptum lugebant: Quid? & tota
arbs mæstissimis querelis concussa, imò & tota provincia in-
acerbissimo ludu erat. At nunc quies restituta? Quin beca-
thdra, hi parietes, hac subsellia corrugata fronte tristitiam
notare videntur: Quin & tota Academia mærcore squallere, in-
quem binis casibus miserum posta est. Vix Luna sesquicibus
cursum suum absolverat, Theologico choro sua eripiebatur A-
quila (ita Ecclesia Doctores, & sacre & profana pandecta ve-
citant) suu Castor & Pollux ex oculu subripiebatur; Nunc
Juridici catu & Aquila & Sol præpeti pennā sacerdit, Supra-

an adventus huius nostra Aquila descriptione, omnia sausti se-
liciag, huic Academia totis, provincia nunciavi, nec vano au-
gurio: nunc in abitu quid non? Si voces Academia edere pos-
set, viri gemitis suas vices deflueret, exclamaret: O me miser-
ram. Sed haberet quo sororem suam, quam nunc tacito pectori
vivis singultibus deploraret. Nec Academia solium, altera miseri-
rum afflita vice, hunc casum adhuc recens servat; Quin &
tota Megalburgica provincia; Quin & Cothmanniana maximi-
ssima familia; Quin & affl. etissima Patria; Quin & Reges &
Principes & totu*m* Justitia orbis. Megalburgica domus refert:
O Consiliarium, o Cancellarium nostrum, quem tam suavi com-
plexu favebamus! o fulcrum provinciae! ubi nunc est? aufugit,
corruit! Cothmanniana familia lugee: O Parentem, o Senio-
rem, bassin atq; columnam nostri stemmatis! ubi nunc est? Cor-
ruit, corruit! O spes fallaces! o cogitationes inanes! Accedit
Patria suis plangoribus; Itanè omni à parte me Fortuna suis fla-
gellis? Intra parietes Miles torquet, viros prosternit, bona ab-
ripit; Extra Mors gentis gloriam; O me miseram, undiq; co-
angustatam! Reges quoq; , Principes quoq; , imò totu*m* Justitiae
Orbis, suspiria sua, Justitiae dictatorem summum eruptum lu-
gendo, addere videntur. Usq; adeò omnia luctu oppleta plango-
ribus resonant: Sed quid planctus? Si Cothmannus è cælo in
terram rediret tanti luctu spectator: inueheret in nos: O vos
nimium pusillanimes, diceret, itanè felicitati mea invidetis?
Anne hoc pestro planctu me ex immortalitatib; Paradiso in vi-
serie vestra vallem retrahere arbitramini? Nequaquam fiet:
Militavi bonam militiam, fidem servavi, ergo hanc coronam,
quâ fruor, reportavi; vos eadem, omni alia sollicitudine abje-
cta, cura iungat, est & vobis corona reposita. Meam verò ma-
num subtractam doletis? Scripta reliqui, ea consulite; Reliqui
generum, reliqui fratrem, ut & filium educavi, hos meo loco.
At quid ego beatorum personam introduco? Luctum sibi volo:
Superest nostri gener, Vir Consultiss. atq; Experientiss. Lauren-
tius

tius Stephani J. U. D. eximus Professor hujus Academiae, nec
non illustriss. Principis, Dn. Johan. Alberti Ducū Megapolita-
ni, Consiliarius longe meritissimus. Superest magnus hujus magni
frater, Vir Consiliiss. Johannes Cothman, ejusdem Celsitudinis
Consiliarius intimus. Quid? qui nostro proximus Filius Junior
Cothmannus Fridericus superest, qui Patriæ vestigia pleno-
ut feliciter capīt, gradus persequendo, Parentem ipsum è cinere
quasi redi vivum, Deo ipsi benedicente, nobis aliquando restituet.
Interea tibi, venerande Senior, qui nunc in celo degis, quod in
terræ monumentum ponemus? Apud Albenenses non sufficie-
bat funebris Oratio, sed qui pro Patriæ salute salutem interpo-
suerant suam, vel aliquo alio egregio facinore vitam nobilita-
rant, statuis splendidissimis exornabantur; Tu vero non minus
meres; Chartaceum quidem hoc, quantalumcunq; est, dedi-
mus; sed areum, sed marmoreum, in aeternum tuorum facto-
rum aeterno quod proficit praeconio, adhuc requiritur. Non est
nostrarum facultatum, Tute tibi ipsi publicis editis scriptis ex-
traxisti, nomine omnium Germaniae, immo omnium Europa Aca-
demiarum vestibulis, immo omnibus Themidos templis insculptis,
quod nec ventura silebunt.

Lultra, nec ignorā rapiet sub nube veteritas.

Tu aeternæ Deus, a cuius nutu omnia pendent, ad cuius pedes etiam
amicè supplices sumus, velis hanc rem tibi commendatam habere, velis
Academiam nostram oculis placidissimis respicere, nebulas monstratas
clementer avertere, infiduum damnum in pristinum restituere, quosq;
superstites reliquisti Viros servare, Spiritu tuo gubernare, ut & omnia ita
dirigere, ut sub ijs te supremo ducere regente tutia nostris Musis halcyonis
contingant: Tu hanc urbem, & toiam hanc provinciam, Illustrissimos
ac Precelesissimos Principes, Duces Megapolitanos, Dominos nostros cle-
mentissimos cum tota regia domo Megapolitanâ, aliis tuis regas, Mariem
& mentibus nostris, Papam, Turcam, & ceterosq; Ecclesiæ hostes infessissimos,
inimicos piorum, animarum latrones nefario fædere inter se conjun-
ctos, ab aris templisq; ac sacris tuis arce, pelle, fugato; Deniq; Cothman-
ianam maxitissimam familiam scipione consolationis tue erige, in flore
suo conserva, auge, atq; aplifica: Tibi ut sit gratia, bonos ac
gloria in omnem aeternitatem:

Lugubres cantus iterum mea præcipe Musa:
Magnificum tristis lugēo namq; vitum.
Magnun: *Theologum* nuper; nunc lugēo *Magnum*
Jurisconsultum: Lugeo ego ergo VIROS.
VIR erat AFFELMANN: noster dum viveret; immō
VIR erat & COTHMANN: lugēo ego ergo VIROS.
Nostræ Westphaliz pereunt, (hei!) Numina magna,
Magna Academiz lumina nunc pereunt,
Nostræ Academiz firmas mors atra columnas
Destruxit; Reliquas tu Pater alme tegē,
Hisce viris qui justa facit sermonē venusto,
Ad cœlum numnē is laude vehendus erit?
Ergo debetur tibi laus, laus maxima. Jane,
COTHMANNI laudes quod tua lingua canis.

F.

M. HENRICUS VULPIUS
*Lemgovia-Westphalus, Scholæ
Rostoch. Rector.*

Sic, Germane, decet, mensis vix aufugit, hunc cè
Nostrum cum in lacrymis pectora mœsta dabant:
Hunc cè canebamus, sed tristi carmine, luctu
Expresso, in lacrymis haud aliter potuit.
Ad te fortè redis, COTHMANNI, publica scandens,
Exurgis preco, pulpitæ, siccè decet.
Siccè viros ornare decet, quas solvere vijsus
Nemo vices, omnes at tacuisse nefas;
Tu, frater, surgis: Bene, Patria postulat illud,
Rempræstas dignam, Te, Patriæ atq; Viro,

App. F.

CONR. JOACH. Drepper.









Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777435462/phys_0048](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777435462/phys_0048)



tius Stephani J. U. D. eximius, P.
non illustriss. Principis, Dn. Johanni,
Consiliarius longe meritissimus.
frater, Vir Consultiss. Johannes Co-
Consiliarius intimus. Quid? qui nu-
Cothmannus Fridericus superest
ut feliciter capitur, gradu persequen-
quasi redivivum, Deo ipso benedictus.
Interea tibi, venerande Senior, quae
terris monumentum ponemus? Ap-
bat funebris Oratio, sed qui pro Pa-
suerant suam, vel aliquo alio egru-
rant, statuis splendidissimis exorna-
meres; Chartaceam quidem hoc,
musi sed areum, sed marmoreum
rum aeterno quod proset praeconio
nostrarum facultatum, Tute tibi
eruixisti, nomine omnium Germani-
demiarum vestibulis, immo omnibus

quod nec v-

Lustra, nec ignorat rapiet sub

Tu aeternus Deus, a cuius nutu omni-
tunc supplices sumus, velis hanc rem te-
Academiam nostram oculis placidissimi
clementer avertere, insitum dampnum
superstites reliquisti Viros servare, Spiritu
dirigere, ut sub ijs te supremo duce regi
contingant. Tu hanc urbem, & totam
ac Præcelissimos Principes, Duces Meg-
mentissimos cum tota regia domo Megap-
olitana inenibus nostris, Papam, Turcam, &c.
inimicos piorum, animarum latrones
eos; ab aris templisq; ac sacris tuis arce-
mianam mestissimam familiam scipione
suo conserva, auge; atq; aplifica:
gloria in omnem a-

Academia, nec
cū Megapolita-
rus hujus magni
em Celsitudinis
Filius Junior
vestigia pleno-
ri ipsum è cinere
vando restituere.
degis, quod in-
ses non sufficie-
alutem interpo-
vitam nobilita-
però non minus
ung, est, dedi-
tuorum facto-
ritur. Non est
litis scriptus ex-
m Europe Aca-
mplis insculptos

cuius pedes etiam
um habere, velis
bulas monstratae
restituere, quos q:
re, ut & omnia ita
Musis halcyonia-
im, Illustrissimos
ninos nostros cle-
is regas, Martem
stes infensissimos,
inter se conjun-
Deniq; Cothman-
ta erige, in flore
ia, bonos as-

032

Patch Reference numbers on UTI
T263 Serial No.

Image Engineering Scan Reference Chart

